



1787U

1782, 2

ORDINARIVS
SENIOR CETERIQVE ASSESSORES
FACVLTATIS IVRIDICAE
LIPSIENSIS

MEMORIAM
BORNIANAM

D. XII. IVNII A. MDCCCLXXXII

HORA IX

IN AVDITORIO SVO
RECOLENDAM

INDICVNT

IN EST

Corollarium iuris criminalis nonum.



[Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page]



COROLLARIUM NONVM.
RELIQVIAE OCTAVI.

Cum ante hos duos menses de delicto ageremus, quod saepissime apud consistoria perpetrari cernitur, nempe de eorum malitia, qui ipsi periuri iudices etiam ecclesiasticos ad soluenda temere matrimonia inducunt, tempore destituebamur, huic malo, a quo secundum hodiernum in causa malitiosae desertionis receptum modum procedendi vix caueri potest, aliquam medelam praeparare; vnde eam nunc breuissimis profiteamur, non, vt quidam medici facillioris sanationis causa faciunt, refectionem totius aegroti membri consulendo, hoc est, omnem modum procedendi, haectenus in desertione coniugis visitatum expellendo, sed remedia tantum quaedam ad eum corrigendum et abusum tollendum proponendo, quae an adhiberi possint, consistoriis relinquamus. Ecce igitur illa:

Primo forte non inutile foret, sub initium litis ob malitiosam desertionem instituendae, et antequam ea, vt aiunt, decernatur, *ehe und bevor der Desertions-Proceß eröfnet wird*, a iudice ordinario actoris vel actricis relationem postulare, tum de certitudine desertionis, quae facta esse dicitur, tum de reliquis, quae forte circa hanc causam digna sunt, vt eorum notitia

VI

eum proxime non aliter, nisi allegato more in ius vocatum iri; inprimis cum omnis edictalis citatio, iuris ordine seruato, ad citati notitiam peruenisse praesumatur. Idem igitur nos, qui hunc morem non reprehendimus, tamen *secundo* non sine utilitate fore arbitramur, si in quauis huiusmodi lite, vt notitia de hoc vel illo reo ob malitiosam desertionem in eius vocato nouellis relationibus publicis infereretur, confistoria curarent; quod non solum quotidie videmus in aliis terris fieri, sed etiam sine dubio eo maiorem vim habiturum esset, quo magis constat, nouellas saepius et a pluribus legi, quam quae publice affixa sunt; id quod sapientissime legislatores Saxonicum animaduenterunt, cum idem in concursibus creditorum ac subhaftationibus praeciperent, *O. P. R. tit. XXXIX. §. 12. et t. XLI. §. 2. Banquer. Mand. d. 20. Dec. 1766. §. 22.*

Tertio admodum ex re videatur primae illi et vnicae citationi edictali amplius spatium indere, quod huc vsque non nisi vnum tantum Saxonicum continuit, at multo angustius, quam res postulare videtur. Diu vir b. m. FERD. AVG. HOMMELIVS in *progr. de spatio edictalis cit.* anno 1755. scripto contra WERNHERVM ostendit, omni edictali citationi, nisi lex aliud praecipiat, inesse debere triplex spatium Saxonicum, et sic saepenumero ab Ordine nostro fuisse pronunciatum, inprimis ea de causa, quoniam eiusmodi citatio, non vt privata, primo statim die ad citati notitiam perueniat, nec ad manus

manus infinetur, vnde maiori spatio opus esse ad eandem notitiam consequendam, cf. BERGER *suppl. ad Elect. dist. for. T. II. cum addit. IV. ad obs. 3. p. 1620.* Eadem ratio est in lite desertoria, imprimis cum in ea res adeo ardua, dissolutio copulati in aeternum vinculi, contra contumacem non verum, sed fictum agatur. Sed superuenit etiam noua causa, scilicet, vt, expectato per maius spatium reditu absentis, animus eius non redeundi eo probabilior fiat.

Quarto non alienum nec inutile foret, in causa malitiosae desertionis citationem edictalem non, vti fere mos est, semper et in singulis eiusmodi litibus ad eosdem iudices extraneos mittere, sed ea imprimis loca extra territorium eligere, vbi non omnis probabilitas desit, eam ad notitiam vel ipsius in ius vocati vel aguatorum et amicorum eius peruenire posse, quae etiam sententia STRYCKII est *ad BRVNEM. I. eccl. L. II. c. 17.* vnde forte consultum foret, eam in causa mercatorum, coniuges malitiose deserentium, in celebre aliquod emporium extraneum, in reliquis omnibus vero in metropolin eius provinciae alieni territorii mittere, quae loco, in quo desertio facta est, proxime adiaceat, aut in illud, in quod eum abiisse, forte suspicio adsit. Nisi etiam, quod ad Saxoniam Electoralem attinet, praeter haec conducere videatur, si eadem citatio simul in aliquot vrbibus *des engen und weiten Ausschusses*, vt in concurribus Creditorum ex Resolutione Grauaminum de an-
no

VIII

no 1661. *Tit. von Inst. Sach. et Ordinatione Processus recognita l. c. fieri debet, publicetur.* Viderunt autem non solum iam alii, aequum esse, vt in causis desertionis citatio in loco vel originis desertoris, vel domicilii agnatorum publicetur, sed etiam in camera imperii quoad omnes edictales receptum est, vt in tribus diuersis territoriis, citandi domicilio proxime vicinis, assignantur, quae citationem impetrans nominare debet, *LAVTERB. coll. pand. L. II. t. 4. §. 18.*

Tandem non dubitamus, quin malo, de quo dicimus, medicina eo efficax adhiberi possit, si formula iuramenti in fine litis praestandi ita concipiatur, vt actor vel actrix arctius constringatur et omnes reservationes ex mente iurantis exterminentur. Quapropter, cum huc vsque non nisi de adhibita diligentia in expiscando desertoris vel desertricis domicilio illiusque inefficacia, atque de ignorantia circa absentis vitam mortem iurari debuerit, forte melius cum causa matrimoniali actum foret, si iurisiurandi formulae adderetur: iurantem non modo non scire, sed adeo nec suspicari, vbi deserens nunc degat, item: eum nec causam absentiae vel scire vel opinari, denique: actorem neque post institutam actionem quicquam de absente compertum habere; quae iuramenti dilatio absque dubio tum exactiorem in percontando absente diligentiam, tum maiorem in iurando religionem esset procreatura.

Haec

Haec breuiter praefanda videbantur, vt indicaremus redeuntem
 diem memoriae anniuersariae beneficii, quo gens **BORNIANA**
 iuris studiosos in hac vrbe, primum assessorum Ordinis nostri, mox
 Scabinorum, denique senatorum ac ciuium filios sub lege annuae
 orationis in cathedra iuridica recitandae amplifice ornauit. In
 hoc stipendio cum conferendo tum dando et accipiendo, tum ora-
 tione habenda, quo maior hucusque ordo et tranquillitas regnauit, eo
 tristius fatum hoc anno euenit, dum hoc beneficium non modo ex Fa-
 cultate nostra perpetuum ad laudes Bornianas inuitatorem, sed ipsum
 etiam collatorem **IACOBVM HENRICVM DE BORN**,
 Ph. et I. V. D. Dynastae in Wildenborn et Electori Saxoniae aulae ac
 iustitiae Consiliarium, in ipso Regimine Dresdae assidentem, perdidit,
 virum, vt ille Romanorum Cato, egregie cordatum, probum, in omni
 eruditionis genere quam maxime versatum, et de munere suo sum-
 mopere merentem, cui, quam felicitatem haud multi sentiunt, hoc
 contigit, vt viuus ab omnibus amaretur, mortuus a singulis desidera-
 retur. Cum vero maiores eius istud stipendium sic fundassent, vt nec
 cum sobole mascula Borniana, quod cum isto factum esse omnes huius
 nominis fautores dolent, ipsum beneficium interiret, sed perpe-
 tuum esset, at vero **CAROLVS AVGVSTVS WINCKLERVS**, iuue-
 nis non malae spei, Ordinarii nostri filius, adeoque in percipiendo
 stipendio nemini secundus, studium iuridicum, cui in hac acade-
 mia incumbit, Ordini nostro satis probasset, ita, vt in cathedram
 iuri-

X

iuridicam et ad orationem in ea Bornianae genti sacram nobis admittendus videretur, quippe de qua re soli Facultati iuridicae cognoscere licet, nostrum est, hac tabula indicere, eam orationem futuram esse proxime sequenti die Mercurii, qui est XII. Martii, ab auctore quotannis ad hanc rem destinatus; quapropter maximopere rogamus RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, CELSISSIMOS PRINCIPES, ILLUSTRISSIMOS COMITES, ET VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES, GENEROSISSIMOS DENIQUE AC NOBILISSIMOS ACADEMIAE CIVES, vt isti orationi frequentes interesse velint. De hoc non solum orator sibi admodum gloriabitur, sed etiam Ordo noster omni occasione id demereri studebit. Scrib. Dominica II. post Festum Trinitatis anno c1616ccclxxxii.



L I P S I A E

EX OFFICINA SAALBACHIA.



778

ARISTOTELIS





W 78

ULB Halle
005 361 494

3







17870.

1782, 2.

ORDINARIVS
SENIOR CETERIQVE ASSESSORES
FACVLTATIS IVRIDICAE
LIPSIENSIS

MEMORIAM
BORNIANAM

D. XII. IVNII A. MDCCCLXXXII

HORA IX

IN AVDITORIO SVO
RECOLENDAM.

INDICVNT

IN EST

Corollarium iuris criminalis nonum.

